In precedenti capitulo audivimus quomodo Christus fuit flagellatus
Consequenter audiamus quomodo fuit spinis coronatus.
Pylatus precepit militibus ut Jhesum flagellarent
Sed Iudei dederunt ipsis munera ut eum plus solito verberarent
Consuetudo legis erat ad mensuram quadraginta verbera dari
Sed Iudei procuraverunt super Jhesum verbera multiplicari
Et non sufficit eis ut ultra debitum flagellaretur
Sed excogitaverunt novam penam ut spinis coronaretur
Et ut ipsum sub subsannatione tamquam regem adorarent.
Et insignia regalia videlicet purpuram et sceptrum sibi darent
Consuetudo fuit maleficos aliquando flagellari
Sed non erat ius legis hominem debere spinis coronari
O iniqui Iudei inventores novarum maliciarum
Quanta sustinebitis nova genera penarum
Qui enim excogitant novorum malorum machinamenta
Recipient nova et inaudita tormenta.
Mensura qua mensi fuerint eis remetietur.
Et ulterius addetur quia pena numquam finietur
Cum igitur Jhesum flagellassent non eum vestierunt
Sed clamide coccinea sive purpurea eum circumdederunt
Purpura consueverat esse unum insigne regale
Et ideo pro derisione contulerunt sibi pallium tale.
Secundum regale insigne est aureum dyadema
Loco cuius imponebant Christo spineam coronam
Tercium regale insigne est aureum sceptrum
Loco cuius dederunt in dextera eius arundinem
Honor regis requirit ut flexis genibus reveratur
Et Christus flexis genibus tamquam rex salutabatur
Consuetum est offerri regibus munera regalia
Pro quibus dederunt Christo alapas et sputamina
Percuciebant etiam caput eius arundine
Infigentes ei acutissimos aculeos corone spinee
O impiissima Iudea cur regem verum tam crudeliter tractasti
Et beneficia sua vobis exhibita non recogitastis
Ipse maris vobis aridos scopulos sub pedibus vestris applanavit
Et crudelitas vestra caput eius acutis spinis perforavit
Ipse pietate exhibuit calceis vestris pedibus
Et vos impietatem exhibuistis capiti eius
Ipse conservavit vestes vestras xl annis sine corrupcione
Et vos spoliastis eum vestibus suis pro derisione
Ipse flagellavit propter vos pharaonem et egyptum
Et vos sine culpa flagellastis ipsum
Ipse per moysen confregit propter vos coronam regis egypti
Et vos coronam de spinis imposuistis ipsi
Ipse omnes reges terrarum coram vobis humiliavit
Et e contrario vestra ipsum tamquam regem derisive adoravit
Ipse vos honoravit super omnium gentium naciones
Et vos exhonorastis eum per multiplices illusiones
Ipse mirabiliter vicit hostes vestros uno mille persequendo
Et per duos decem milia fugando

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0078
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt